

*consensus approbavit, rejiciendum. Neq; tamen ideo sola
 majorum aut veritas pro veritatis lege & norma habenda:
 sed λόγος καὶ πείρα, ratio atque experientia omnis inventio-
 nis, cognitionis, atq; scientiæ instrumenta, regula ac nor-
 ma unicè constituenda sunt. Et propterea sicubi vel ratio
 evidens, vel experientia manifestè convincat, majores à
 veritate aberrasse, & bonum quandoq; Homerum dormi-
 tasse: eorum errata dissimulanda non sunt, ne etiam nos i-
 psi posteritati imponamus. Atq; liberi & ingenui est ani-
 mi, magis veritatem, quàm Platonem ac Aristotelem,
 Hippocratem & Galenum, amare: ignavi verò atq; abje-
 cti, non eandem velle diligentiam adhibere, quam antiqui
 olim in constituendis & excolendis artibus adhibuerunt,
 & vel hodie, si in vivis essent, adhiberent. Quæ verò anti-
 quorum hac in re mens fuerit, vel Galenus, 2. de compos.
 medic. sec. loc. cap. 1. docet. Cum enim Archigenem lau-
 dasset, hæc addit: Non tamen in omnibus, quæ tradidit, irre-
 prehensibilis mihi videtur: Verùm velut ipse plerosq; eorum
 virorum, à quibus adjutus optimus evasit, reprehendit: sic par-
 est ipsum delinquentem à nobis posteris examinari. Ratio-
 nemq; subjungit: Χαλεπὸν γὰρ ἀνθρώπων ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς,
 τὰ μὲν ὁλῶς ἀγροήσονται, τὰ δὲ κακῶς κρύνονται, τὰ δὲ ἀμελέσειεν ἢ γράψουσι.
 Difficile enim est, ut qui homo sit, non in multis peccet, quæ-
 dam videlicet penitus ignorandò, quædam verò malè judican-
 do, & quædam tandem negligentius scriptis tradendo. Verum
 nimirum est Comici illud*

*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitã fuit,
 Quin res ætas, usus semper aliquid oportet novi,
 Aliquid moneat: ut illa, quæ te scire credas, nescias;
 Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:
 Præcipuè in naturæ obscuritate ac veritate eruenda; &
 quidem in hac vitæ brevitate, ob quam, ubi vix amplissi-*

171113